



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De ordinatis & reliquis fidelibus quòd sine licentia sui episcopi nil agere
debeant. xciii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

*De ordinatis & reliquis fidelibus, quòd sine licentia
sui episcopi nil agere debeant. Cap. XCIII.*

*Ex epist.
Clemen-
tis omni-
bus fidei-
missa.
cap. 22.*

QVapropter cunctis fidelibus, & summopere omni-
bus presbyteris & diaconibus, ac reliquis clerici
attendendum est, vt nihil absque episcopi propri-
licentia agant. Non utique Missas sine eius iussu quisque
presbyterorum in sua parochia agat, non baptizet, nec
quicquam quod ad episcopum pertineat, absque eius per-
missu faciat. Similiter & reliqui populi, maiores scilicet &
minores, per eius licentiam quicquid agendum est agant,
nec sine eius permisso à sua parochia abscedant, vel in ea
aduentantes morari præsumant. Animæ verò eorum ei
credita sunt, ideo omnia eius consilio debent, & eo in cò-
sulto nihil. Quicumque enim obediunt episcopis suis,
videntur quidem obedire & Deo. Qui autè eis non obe-
diunt, indubitanter rei & reprobri existunt.

De eadem re. Cap. XCIII.

*Ex epist.
eiusdem,
cap. 36.*

Nillum enim presbyterum in alicuius episcopi paro-
chia aliquid agere debere absque eius permisso do-
cebat. Cunctos presbyteros propriis episcopis in omnibus
absque mora obedientes instituente domino esse debere
docebat. Nullum aliena concupiscere aut præsumere eo-
rum, sed vnumquemque suis sibi que commissis conten-
tum esse docebat. Neminem etiam alicui aliquid facere,
nisi quod sibi vult fieri instruebat.

De eadem re. Cap. XCV.

*Ex cõcil.
Aralatē.
cap. 2.*

DE presbyteris aut diaconibus qui solent dimittere lo-
ca sua in quibus ordinati sunt, & ad alia loca se trãf-
ferunt, placuit vt iisdem locis ministrarent. Quòd si de re-
lictis locis suis ad alium se locum transferre voluerint, de-
ponantur.

*Quòd non liceat clericum in duarum ciuitatum simul
conscribi Ecclesiis. Cap. XCVI.*

*Ex cõcil.
Chalced.
cap. 10.*

Non licere clericum in duarum ciuitatum conscri-
bi simul Ecclesiis, & in qua ab initio ordinatus est,
& ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ
cupiditatem. Hoc autem facientes reuocari debere ad
suam Ecclesiam in qua primitus ordinati sunt, & ibi tan-
tummodo ministrare.